

600

Lib. V. Cap. V.

muntur, explicandum est, quid & quo-  
tuplex sit totum & pars.

2. Totum igitur est ens quod conti-  
net ea, quae continentur, ut unum sint, e-  
g. homo continet corpus & animam, quae  
continentur ut unum sint, seu ut unum con-  
stituunt.

3. Dicitur 1. quod totum sit ens, hoc  
enim est materiale, in quo cum aliis con-  
venit totum.

4. Dicitur 2. quod totum contineat  
plura, ex unico enim non potest consta-  
re totum. Non autem additur, quo-  
modo totum plura contineat, an actu  
an potentia, quia sicut diversa sunt ge-  
nera totius: ita diversus quoque est con-  
tinendi modus.

5. Dicitur 3. quod illa, quae in toto con-  
tinentur, unum sint, h. e. quod unum con-  
stituunt.

6. Totum aliud est integrale, aliud  
essentiale, aliud universale, quibus alii  
addunt potestativum.

7. Totum integrale est, cujus quan-  
titas constituitur quantitate partium e-  
g. corpus hominis dicitur totum integrale,  
quatenus